
NIC. PETRÆUS
HUSANUS
DISP. PHYSICA DE COMETIS


JENÆ, 1594

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

19-79
4°
DA. Bot
(LN bis 191)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

1586 19.-79

DISPVTATIO
PHYSICA
DE COMETIS

Auctoritate & adprobatione ampliſſimæ facultatis Philoſophicæ in celeberrima Ienenſi Academia publicè,

GVBERNANTE

Deo ter opt. ter Max.

PRAESIDENTE

M. NICOLAO PETRÆO
HVSANO HOLSATO;

RESPONDENTE

*IOHANNE STAPELIO
OSTERODENSIS.*

Ad Sextas Nonas Martias anno τῆς παρ-
θενοτοκίας cIɔ Iɔ VIC. hora 7.
loco ſolito, habenda.

IENÆ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

REVERENDIS, CLARISſimis & doctiſsimis viris,

D. M. ANDREÆ LEOPOLDO IN DVCATV PRINCIPIS ILLVSTRISSIMI VVOLFGANGI, Dvcis Brunſuicenſis & Lunæburgenſis Superintendenti digniſſimo:

D. IOHANNI SINDERAMO Seniori;
D. IOHANNI HEVPTEN,
D. ANDREAE RHETELIO;

Eccleſiæ Oſterodenſis paſtoribus vigilantiſsimis, fautoribus & amicis plurimùm honorandis;

Diſputationem hanc in debitæ obſervantiæ pignus, & ſtudiorum teſtimonium,

IOHANNES STAPELIVS
D. D.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
B.R.H.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

DE COMETIS.

THESIS I.

VOCABVLI COMETAE derivatio ſic habet: dicitur ἀπὸ τῆς κόμης, quoniam radios quoſdam accenſos veluti crinem emittit; & nobis è longinquo adſpicientib. quaſi coma ornatus apparet.

2. Latinorum alii vocant ſtellam crinitam, horrentem crine ſanguineo, & comarum modo in vertice hiſpidam: alii comatam: alii cincinnatam: alii caudatam. Reliquarum denominationum apud autores varios paſsim exſtantium enumeratione ſuperſedemus.

3. De re ipſa, quid COMETA ſit, variæ ſunt, tùm Philoſophorum priſcorum; tùm neotericorum opiniones, & ſententiæ. Vnde diſcrepantes quoq; conſtitutæ definitiones, quarum nos certis moti rationibus ſequentem potiſsimùm amplexamur.

4. Cometa eſt meteoron è fumis pinguibus, denſis ac viſcidis, vi aſtrorum, & ſiderum errantium congreſſu ex terra ad ſupremam aëris regionem elevatis, ibidemq; accenſis, genitum; plerumq; cum aſtro quod in eo producendo primas ſibi vendicat, vel cum aëris ſuprema regione circulariter motum, aut pabuli ſui ductum ſequens: & rerum magnarum alterationem ut plurimum ſignificans & efficiens.

5. Genus definitionis eſt meteoron, hoc eſt, corpus imperfectæ concretionis.

6. Differentia in definitione complectitur ſex. 1. Materiam. 2, Cauſam efficientem. 3. Formam 4. Subiectum. 5. Adjunctum. 6. Finem & effectum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

7. Materia ſunt fumi ſeu exhalationes calidæ& ſiccæ, vel halitus tenaces & denſi,facilimèq; inflammabiles.

8. Et iſti halitus non uno momento eduntur, ſed initio:ut in apoſtemate quodam fieri adſolet; exigua eſt materia: quæ nova ſubinde confluentium exhalationum acceſsione augetur: ob quam materiæ ubertatem multos ad dies incendium ſæpê perdurat.

9. Cauſſa efficiens cometæ duplex eſt: θεολογικὴ & φυσικὴ vel ἀστρολογικὴ: quæ duæ cauſæ ἀδαμαντίνως ſemper coniungendæ.

10. θεολογικὴ eſt Deus; quia & ſacra ſcriptura paſsim iſti plurima meteora accepta refert,&Phyſici etiam rectiſſimè eumdem primum motorem,primum movens,& principium ἐνεργητικὸν omnium rerum, à quo unico pendeant aliæ cauſſæ ſecundariæ, adpellitant.

11. φυσικὴ eſt aſtrorum vis & in primis errantium ſiderum congreſſus & configuratio, quæ eductos in ſublime fumos cogit, iungit, continuat, radiis ſuis velut flamma ſubdita incendit & ducit.

12. Stellarum verò virtute materiam cometarum excitari,argumento hoc eſt;quod plerumq; à planeta aliquo gubernantur & circunducuntur,& quod illarum propria natura color quoq; iſtorum variatur.

13. Forma cometæ eſt ipſa figura ſuccenſionis,vel ipſa flamma ardentis halitus, qui quoniam diſparili modo in aëre ſpargitur, varias quoq; formas ſeu figuras inflammatus oculis noſtris oſtendit.

14. Iuxta has bifariam diſtinguere cometam licet:aut ſecundum formam vel breviorem vel longiorem: aut ſecundum colores diſsimiles.

15. Secundùm formam duplex potiſsimùm eſt cometa iuxta Ariſtotelem lib. 1. meteor. cap. 7. crinitus & barbatus.

16. Crinitus eſt, quando materia exhalationis æquabiliter omni ex parte diffuſa, capiti non abſimilis eſt: & tunc propriè κομήτης nuncupatur.

17. Barbatus eſt, quum unam quamcunq; in partem pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

protenduntur flammarum ramuli prolixiores: vel, ut Ariſtoteles dicto loco has duas ſpecies deſcribit, inquiens: ἐὰν πάντῃ ὁμοίως, κομήτης. ἐὰν δὲ ἐπὶ μῆκος, καλεῖται πωγωνίας.

18. Ad has duas ſpecies commodè referri poſsunt & reliquæ à Plinio enumeratæ lib. 2. cap. 25. qui undecim cometarum formas recitat: quarum priores duæ faciunt cometam eſſe crinitum & barbatum.

19. Ad crinitum pertinent cæteræ ſpecies breviores: ut ſunt. 1. δισκεύς. 2. πιθίτης. 3. κεράτιας. 4. ἱππεύς. 5. ἀργυροκόμης.

20. Ad barbatum pertinent ſpecies longiores: ut: 1. ἀκοντίας. 2. ξιφίας. 3. λαμπαδίας. 4 λογχίτης. Et ſi quæ aliæ ſpecies apud autores annotantur, ad duas prædictas ſpecies referendæ: quæ omnes non materia, non efficiente cauſſa, & incenſionis modo, nec fine differunt à cometa, ſed forma tantum. Vnde non opus multum verborum in iſtis ſingulis declarandis collocare.

21. Secundum colores ideò diſcriminantur cometæ: quia pro exhalationis raritate vel denſitate, puritate vel impuritate, & pro aëris diverſo habitu, aliàs pallentẽ, aliàs rubentem colorem, aliàs alios colores repræſentant.

22. Quin etiam certis planetis producti peculiarem & certum nanciſcuntur colorem, pro natura & colore planetarum producentium.

23 Vnde à Saturno productis plumbeum & fuſcum; à Iove argenteum ſive candidum; à Marte præciſé rutilum; à Sole aureum; à Mercurio varium & multiplicem: à Venere flavum; à Luna album & clarum colorem, adſignant & adtribuunt.

24. Subiectum cometarum eſt ſuprema aêris regio; in qua omnes cometæ generantur.

25. Et ſæpius extra Zodiacum & Tropicos ſe conſpiciendos præbent: dum iſto in loco & exhalationes ferri & diutius ob remotionem ſolis conſiſtere poſſunt: qui enim intra Tropicos oriuntur ob fervorem & vicinitatem Solis intra Tropicos in Ecliptica perpetuò decurrentis, ſtatim ſolvuntur & diſsipantur.

26. Adiuncta ſeu accidentia cometarum obſervatu digna præcipuè tria ſunt. 1. tempus. 2. motus. 3. raritas.

27. Quod ad tempus adtinet; iſtud duplex eſt: productionis & durationis: Producuntur autem plurimùm illis annis, qui ſunt ſicci & ſqualidi, ubi aer exhalationib. ſeu fumis calidis & ſiccis eſt oppletus.

28. Quod ad anni partes; generantur maximè tempore autumnali, ob æquabile caloris halitus iſtos excitantis temperamentum.

29. In æſtate verò rarò propter immoderatum calorem exhalationum materias conſumentem. In hyeme etiam rarò ob frigidum & humidum tempus, quod adverſatur cauſſæ efficienti & materiali propriæ. In Vere tandem rariſsimè ob humoris nimiam copiam, quæ calorem imbecillum reddit.

30. Durationis certum tempus ob materiæ varietatem definiri nequit. Plinius quidem lib. 2. cap. 25. dicit breviſsimum ſpacium ſeptem dierum annotatum eſſe, longiſsimum octoginta: verum alios tres, quatuor, vel ſex etiam totos menſes apparuiſſe, obſervatum eſt.

31. Quod ad motum; iſte triplex eſt: ut plurimùm enim vel moventur ad motum ſideris alicuius orbiculariter: vel ad motum primæ regionis aeris: vel etiam interdum vagabundo motu, ob inordinatam materiæ diſpoſitionem, oberrant.

32. Quod ad raritatem duæ ſunt cauſſæ: θεολογικὴ & φυσιολογικὴ.

33. Θεολογικὴ eſt; quia Deus miſericors & longanimis tardè punire, & ita tardius ſeu rarius iræ ſuæ ſigna oſtendere, conſuevit.

34. Φυσιολογικὴ duplex eſt cum primis: 1. quia rarò contingit eiuſmodi planetarum præſertim ſuperiorum adfectio, quæ excitare poſsit cometam. 2. quia rarò poteſt tanta exhalationum copia colligi ad tantum ignem efficiendum & alendum.

35. Finis cometarum duplex eſt: Theologicus & Phyſicus.

36. Theologicus finis, aut eſt σημεῖον calamitatum futurarum, aut eſt earumdem αἴτιον.

37. Si

37. Si eſt σημεῖον, finis eſt, ut ſit præmonitus & prænuncia adhortatio ad μετάνοιαν, ad rogandam & exſpectandam averſionem, vel paternam tantùm pœnarum publicarum moderationem.

38. Si eſt calamitatum αἴτιον ἐνεργητικὸν, finis eſt, ut ſit organon compeſcendæ & vindicandæ humanæ pravitatis & enormis malitiæ, quæ aliás nulla vi humana puniri poteſt.

39. Phyſicus finis eſt, ut halitus iſti viſcoſi & venenati ex terræ viſceribus remotiſsimè ab hominum tuguriolis protrahantur & conſumantur, ne facilè animalium corpora fædant & inficiant.

40. Effectus quoque bipertitus eſt: Theologicus & Phyſicus.

41. Theologicus, quod plerumq; clades populorum, mutationem imperiorum, regum interitus, & alios negotiorum humanorum eventus, adportant.

42. Phyſicus eſt, quod ſæpiſsimè efficiunt aut tempeſtates, hoc eſt, nimias ſiccitates, aquarum paucitatem, piſcium interitum, agrorum ſterilitatem & vehementiſsimos ventorum flatus: aut aeris vitium, peſtem hominum & animalium; & alia. Quare hic convenientiſsimè locum habet illud Camerarii, οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

43. De his ſi forſan nonnemo dubitaverit; ille hiſtorias antiquas & recentes inſpiciat, & incendia cometarum rarò ſine terrore ingenti illuxiſſe, rariſsimè ſine calamitatibus deflagraſſe, experietur.

44. His ita ordine conſideratis; cometam, neq; iuxta Anaxagoræ & Democriti ſententiam, σύμφασιν τῶν πλανητῶν ἀστέρων eſſe: neq;, quod Pythagorici dicebant, unam de ſtellis errantibus certis temporibus (quod Mercurio etiam accidit) adparentem: neq;, quod Hippocrates cous & AEſchylus diſcipulus voluere, quod ad corpus, de natura cœli, quod ad caudam, de natura elementari: neque quod Zenon Stoicus aſſeruit, ex ſocietate luminis ſtellarum quarumdam exiſtere: neq; tandem quod vulgi pars ἄθεος autumat, ad nullum finem excitari, & omni ſemper effectu carere; ſatis ſuperq; liquet,

αἰτή

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

ΑἸΤΉΜΑΤΑ.

1. *Vt inter Meteora* ἐμφατικὰ *iris eſt pulcherrimum, ita inter* ὑποστατικὰ *cometa nobiliſſimum.*

2. *Vt fulmen inter mediæ aëris regionis meteora eſt maximè terrificum, ita inter meteora ſupremæ aëris regionis cometa.*

ΠΟΡΊΣΜΑΤΑ.

1. *Cometa non eſt ſtella vera.*

2. *Aſtrologicæ prædictiones ex cometarum natura diſpoſitione & alijs accidentibus ſobriè deſumtæ, non ſunt ſimpliciter reijciendæ.*

ΠΡΟΒΛΉΜΑΤΑ.

1. *An cometa ex quorundam ſententia ſit* ἔμφασις, *& an fiat per* ἀνάκλασιν?

2. *An cometæ duo, quorum alter anno 72. alter anno 77 in regione atherea comparuit, ſententiam peripateticorum, in theſibus noſtris breviter poſitam, prorſus refellant?*

F I N I S.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 191 [19,-79 4°]